

« debita cum instantia requisiti, ut ad comple-
 « mentum litterarum Apostolicarum, et conten-
 « torum in eisdem, procedentes in præfata nostra
 « Cathedrali Ecclesia, ad honorem Sancti Salva-
 « toris dedicata, et in dicta Nova-Hyspania fabri-
 « cata, Dignitates, Canonicatus, et Prebendas, ac
 « Portiones, aliaque Beneficia, et Officia Eccle-
 « siastica quotquot, et prout melius expedire vi-
 « deremus, tam in civitate, quàm per totam Diœce-
 « sim erigeremus, et institueremus. Nos igitur
 « Vascus de Quiroga, Episcopus præfatus, atten-
 « dentes petitionem, et exquisitionem hujusmodi
 « justas fore, et rationi consonas, cupiensque, ut
 « verus, et obediens filius, Apostolica jussa nobis
 « directa reverentè exequi, ut tememur, commi-
 « sionem prædictam acceptavimus, et eadem auc-
 « thoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte
 « præfata Majestate instante, et petente in præ-
 « dicta Cathedrali Ecclesia Civitatis Michoacan in
 « dicta Nova-Hyspania ad honorem Dei, et Domini
 « nostri Jesuchristi, ac Sancti Salvotaris, in cujus,
 « et subcujus titulo per præfatos Sanctissimas
 « Dominos Cathedralis Ecclesia est erecta, ac
 « postèa translata, confirmata, et approbata, ubi
 « suprà, tenore præsentium erigimus, creamus,
 « et instituimus.

§ 1.º

« Decanatum, quæ Dignitas prima post Ponti-
 « ficalem, in eadem Ecclesia existat, qui curet,
 « et provideat, quod officium Divinum, et omnia
 « alia, quæ ad cultum Dei pertinent, tam in choro,
 « quàm in Altari, quàm etiam in processionibus,
 « in Ecclesia, et extrà, in Capitulo, et ubicum
 « que conventus Ecclesiæ, seu Capituli ad illud
 « exolvendum congregabuntur, cum silentio, et
 « ea, qua decet, honestate, ac modestia, ritè, ac
 « rectè perficiantur; ad quem etiam pertinebit,
 « iis, quibus à choro ex causa discedere convenit,
 « expresa causa, et non alias licentiam concedere.

§ II.

« Archidiaconatum ejusdem civitatis, ad quem
 « clericorum ordinandorum examinatio, Præ lato
 « Solemniter celebrante ministratio, Civitatis, et
 « Diœcesis, si sibi à Præ lato injungatur visitatio,
 « et alia, quæ de jure communi competunt, exer-
 « cere pertinebit, qui in altero tamen jurium,
 « vel in Theologia ad minùs Baccalaureus existat
 « in Universitate graduatus.

§ III.

« Cantoriam, ad quam nullus possit præsen-
 « tari, nisi in Musica, saltem in cantu plano doc-

« tus et peritus existat, cujus in facistolio cantare,
 « et servitores Ecclesiæ cantare docere, et quæ
 « ad cantum pertinent, et expectant, ordinare,
 « corrigere et emendare, in choro, et ubicumque,
 « per se, et non per alium officium erit.

§ IV.

« Scholastriam, ad quam et nullus, nisi in al-
 « tero jurium, aut in Artibus Bacclareus in ali-
 « qua generali Universitate graduatus existat,
 « præsentetur, qui grammaticam clericos, et
 « Ecclesiæ servitores, ac omnes Diocesanos audi-
 « re volentes, per se, vel per alium docere tene-
 « bitur.

§ V.

« Thesaurariam, ad quam Ecclesiam claudere,
 « et aperire, campanas pulsare facere, omnia
 « utensilia Ecclesiæ custodire, Lampades, et
 « Luminaria, curare de incenso, luminibus, pane,
 « et vino, ac reliquis ad celebrandum necessariis,
 « de redditibus fabricæ Ecclesiæ exponendis, ad
 « votum Capituli pertinebit providere.

§ VI.

« Necnon decem Canonicatus, et Præbendas,
 « quas à dictis Dignitatibus omninò separatas

« esse decernimus, nec unam simul cum Digni-
 « tate aliqua obtineri posse ordinamus, ad quos
 « etiam Canonicatus, et Præbendas nullus præ-
 « sentari possit, nisi ad sacrum Presbyteratus or-
 « dinem jam sit promotus, ad quos quidem Ca-
 « nonicatus quotidie (præterquam in primæ, et
 « secundæ Dignitatis festivitibus, in quibus
 « Prælatus, vel eo impedito, aliqua de Dignitati-
 « bus celebrabit) Missam celebrare spectabit.

§ VII.

« Instituimos in supèr sex integras, et totidem
 « dimidias Portiones, et qui ad dictas integras
 « Portiones præsentandi fuerint, ad sacrum Dia-
 « conatus ordinem sint promoti, in quo quidem
 « ordine teneantur in Altari quotidie deservire,
 « necnon Passiones decantare: Qui verò ad dimi-
 « dias, ad sacrum sub-Diaconatus, qui quidem
 « Epistolas in Altari, et in choro, et Prophetias,
 « Lamentationes teneantur decantare.

§ VIII.

« Volumus in supèr, et statuimus, quod ad Dig-
 « nitates, Canonicatus, Portiones integras, et di-
 « midias supradictas, vel aliquod aliud Beneficium
 « totius nostræ Diocesis, nullus præsentari valeat,
 « qui cujusvis ordinis, privilegii, aut officii occa-

« sione à jurisdictione nostra ordinaria sit exemp-
 « tus; et si fortè contingerit exemptum aliquem
 « præsentari, vel institui, talis præsentatio, vel
 « institutio sit ipso jure nulla.

§ IX.

« Et quia non est parvi momenti Rectores no-
 « minare, ordinamus, quod tot Rectores possi-
 « mus eligere, quot servitio nostræ Cathedralis
 « Ecclesiæ necesse fuerint, qui ad nutum nostrum,
 « nostrorum que pro tempore successorum pro-
 « videri, et quando licuerit, removeri possint,
 « qui exerceant in dicta Cathedrali Ecclesiæ nos-
 « tra officium ritè, et rectè, Missas celebrando,
 « confessiones audiendo, aliaque sacramenta cautè
 « et sollicitè ministrando.

§ X.

« Ac sex Accolytos, qui acolitatus officium
 « Altaris ministeriò quotidie per ordinem exerce-
 « bunt; ordinamus Capellanos insuper sex, quo-
 « rum quilibet, tam in nocturnis, quàm in diur-
 « nis, ac etiam Missarum solemnitatibus ad fa-
 « cistolium in choro personalitè interesse, et in
 « unoquoque mense Missas viginti, nisi justa
 « infirmitate, vel impedimento fuerit impeditus,
 « celebrare teneatur.

§ XI.

« Præsentationem autem dictarum Dignitatum,
 « Canonicatum, Portionum integrarum, ac di-
 « midiarum, aliarumque Dignitatum, Canonica-
 « tum, et Portionum similium futurarum, in
 « prædicta nostra Cathedrali creandarum, præ-
 « fatis catholicis Hispaniarum Regibus, ac eorum
 « successoribus, prout de jure e is competit, et
 « Autoritate Apostolica, reservamus.

§ XII.

« Accolytorum, et Capellanorum prædictorum
 « electionem, seu provisionem, ad Nos, et suc-
 « cessores nostros unà cum nostro Capitulo per-
 « tinere decernimus. Volumus autem, quod dicti
 « Capellani, qui pro tempore fuerint eligendi, non
 « sint familiares Episcopi, nec alicujus personæ
 « dicti Capituli, nec fuerint tempore vacationis.

§ XIII.

« Officium verò Sacristæ, qui ea, quæ ad offi-
 « cium Thesauraris spectant, ipso præsent, et
 « de ejus commissione, ad votum Capituli exer-
 « cere tenebitur.

§ XIV.

« Officium Organistæ, qui organa in diebus
« festivis, et aliis temporibus, ad votum Prælati,
« vel Capituli pulsare teneatur.

§ XV.

« Officium Perticaris, cujus in Processionibus
« ordinare, Prælato, Presbytero, Diacono, sub-
« Diacono, et reliquis Altari ministrantibus, de
« choro ad sacristiam, vel Altare, de Altari ad
« sacristiam in chorum euntibus, vel redeuntibus
« anteire officium erit.

§ XVI.

« Officium Œconomi, sive Procuratoris fabri-
« cæ, et Hospitalis, qui Architectis muratoribus,
« necnon fabris lignariis, et aliis officialibus ædi-
« ficandi Ecclesiis operam dantibus præerit, qui-
« que per se, vel alios, redditus, et proventus
« annuos, et quæcumque emolumenta, et obven-
« tiones ad dictam fabricam, et Hospitale quo vis
« modo pertinentia, colligere, et expendere ha-
« bebent; redditurus annuatim rationem de recep-
« tis, et consumptis Episcopo, et Capitulo, vel offi-

« cialibus ab eisdem ad hoc especialitè deputatis;
« necnon ad eorum nutum eligendus, vel remo-
« vendus, præstita priùs per eum idonea satisfac-
« tione, quàm ad administrationem admitratur.

§ XVII.

« Officium insupèr Cancellaris, sive Notaris
« Ecclesiæ, et Capituli, qui quoscumque contrac-
« tus inter Ecclesiam, Episcopum, et Capitulum,
« et quoscumque alios in Prothocollo, et notis
« suis recipere, actus Capitulares scribere, dona-
« tiones, possessiones, census, feudos, precaria,
« per eosdem Episcopum, et Capitulum, et Eccle-
« siam, vel eisdem factas, vel in posterum facien-
« das, annotet, et scribat, et instrumenta custo-
« diat; partes reddituum Beneficiatis distribuat,
« necnon rationes reddat, et recipiat.

§ XVIII.

« Officium insupèr Canicularum, qui canes ab
« Ecclesiæ ejiciat, in omnibus sabbatis, et quo-
« rumcumque festorum vigiliis habentium, vigi-
« liis, et aliis, ubi, et quando per Thesaurarium
« sibi fuerit injunctum, Ecclesiam purgabit.

§ XIX.

« De quibus omnibus, videlicet, quinque Dignitatibus, decem Canonicatibus, sex integris, et totidem dimidiis Portionibus, et ex Capellanis, et ex Accolytis, et Officiis prædictis, quia de præsentis fructus, redditus, et proventus Decimarum non suppetunt, Thesaurarium ex Dignitatibus, quinque verò Canonicatus, et omnes integras, et dimidias Portiones ad præsens in dicta erectione volumus suspendere: quodsi præfatis quator Dignitatibus, et quinque Canonicis redditus memoratæ quartæ partis ad præsens (quod non credimus) non suppetant, quod defuerit, inter eos dividatur secundum valorem Præbendarum, et non numerarum personarum doneo ad majorem quantitatem fructus pervenerint, restituendi ad Præbendas præfatas per Nos, et nostros successores ordine nobis considerando ad potiorem Ecclesiæ nostræ utilitatem, ita tamen, ut cum, Deo Duce, ad pinguiorem fortunam fructus, et redditus nostræ prædictæ Ecclesiæ pervenerint, quamprimùm ad dotem Thesaurariæ suspensæ applicatum de super crescentibus fructibus auctum fuerit, Thesaurariam eandem ex nunc erectam, et creatam esse decernimus, absque alia nova creatione, et erec-

« tione, personæ per eandem catholicam Majestatem nominandæ conferendam; et consequenter, dum fructus, redditus, et proventus ulterius augmentum receperint, tres integræ portiones provideantur, et successivè, cum excreverint fructus, dietorum Canonicorum numerus usque ad denarium numerum successivè augeatur, quo expleto, tunc reliquæ tres integræ, et dimidiæ Portiones successivè suo ordine admittantur, et demùm ex redditibus super excrecentibus sex Accolytatus pro sex Clericulis, qui in quatuor minores sint constituti, et Accolytorum officium in Altaris ministerio egerceant, et sex Capellaniam simplices pro sex prædictis Capellanis similiter provideantur, postmodum verò officium Organistæ, et Perticarii, et Œconomi, Notarii, Canicularii prædictorum dicto numero successivè juxta ordinem litteraliter præmissum, absque aliquo intervallo augeatur.

§ XX.

« Et quia secundum Apostolum, qui Altari servit, de Altari vivere debet, omnibus, et singulis Dignitatibus, personis, et Canonicis, Præbendatis, et integris, et dimidiis Portionariis, Capellanis Clericulis, sive Accolytis, cæterisque officiis, et eorum officialibus, justa numerum supradictum expressis, omnes, et singulos fruc-

« tus, redditus, et proventus, tam ex Regia dona-
 « tione, quàm ex jure Decimarum, aut aliàs quo-
 « vis modo adeos de præsentì, aut in futurum per-
 « tinentes, videlicet ordine litterario, Decano, Ar-
 « chidiacono, Cantori, Scholastico, Thesaurario,
 « et Canonicis, necnon Portionibus, et dimidiis, et
 « omnibus aliis suprànnotatis, et nominatis modo
 « seqüenti.

§ XXI.

« Decano centum et quinquaginta libras *pesos*
 « vulgaritèr in illis partibus nuncupatos, quarum
 « librarum quælibet unum castellanum aureum
 « quadragintos octoginta quinque marapetinos
 « monetæ usitatæ Hyspaniæ constituentes. Archi-
 « diacono centum et triginta valoris ejusdem *pe-*
 « *sos* seu castellanos, et cuilibet de Dignitatibus
 « totidem; et cuilibet de Canonicis centum; Por-
 « tionariorum cuilibet septuaginta; dimidiis tri-
 « ginta quinque; Capellanis, cuilibet viginti; Ac-
 « colytiis singulis duodecim; Organistæ sexdecim;
 « Notario totidem; Perticario totidem; OEcono-
 « mo verò quinquaginta; Caniculario quidem duo-
 « decim libras auri, similiter totidem castellanos,
 « et marapetinos constituentes, ex nùn pro tunc
 « ordine litterario, prout exprimitur, servato, cùm
 « fructus, redditus, et proventus superexcreverint
 « applicamus, et assignamus.

§ XXII.

« Et quia, ut dictum est, propter officium da-
 « tur beneficium, volumus, et in virtute sanctæ
 « obedientiæ districtè præcipiendo mandamus,
 « quod prædicta stipendia sint quotidianæ distri-
 « butionis assignatæ, distributæ quotidie interes-
 « sentibus singulis horis, nocturnis paritèr, et
 « diurnis exercitiis dictorum officiorum. Itaque
 « à Decano usque ad accolytum inclusivè, is,
 « qui alicui horæ non interfuerit in choro, sti-
 « pendio, sive illius horæ distributione careat, et
 « officialis, qui sui officii exercitio, vel executio-
 « ni de erit, multetur similiter singulis vicibus
 « prorata salarii; tales verò distributionis, qui-
 « bus absentes privantur, aliis interessantibus
 « accrescan.

§ XXIII.

« Item volumus, et eadem auctoritate ordi-
 « namus ut omnes, et singulæ dignitates, cano-
 « nici, portionarii dictæ nostræ Ecclesiæ cathe-
 « dralis teneantur residere, et servire in prædicta
 « nostra Ecclesia per octo menses continuos, aut
 « interpotatos; alioquin nos, vel successores nos-
 « tri, qui pro tempore fuerint, aut Capitulum,

« sedevacante, teneantur, eo prius vocatto, et
 « audito, si justam, et rationabilem causam ob-
 « sentiae non habuerit, et allegaverit, persona
 « tum, vel canonicatum, sive Portionem vacan-
 « tem pronuntiare, et de ilto, vel illa idoneis ad
 « praesentationem tamen praefatae catholicae Ma-
 « jestatis, et eorum in Regnis Hyspaniae succes-
 « sorum providere; justam autem absentiae cau-
 « sam hoc loco definimus, aegritudinem, dum
 « tamen beneficiatus infirmus in civitate maneat,
 « aut in suberbiis ejusdem civitatis, aut si eum
 « incurrerit, stans extra civitatem cum redierit,
 « aut redire paraverit ad eam, dum tamen hoc
 « probationibus legitimis constet; vel cum de
 « mandato Episcopi, vel Capituli simil, et pro
 « causa, et utilitate Ecclesiae absens fuerit, ita-
 « que istatria concurrant in hac sua absentia.

§ XXIV.

« Volumus insupèr, et de consensu, et bene-
 « placito praefatae, et serenissimae Majestatis, et
 « eadem auctoritate Apostolica statuimus, de-
 « cernimus, et mandamus, quod omnium Deci-
 « marum, tam cathedralis, quam aliarum Eccle-
 « siam dictae civitatis, et Diocesis fructus, red-
 « ditus, et proventus in quatuor partes aequales
 « dividantur, quarum unam nos, et successores

« nostri Episcopi perpetuis, futurisque tempori-
 « bis pro onere Pontificalis habitus sustentando,
 « et ut decentis, et juxta Pontificalis officii exi-
 « gentiam, statum nostrum sustentare valeamus
 « absque aliqua diminutione, pro nostra Episco-
 « pali mensa habeamus. Decanus verò et Capi-
 « tulum, et reliqui Ministri Ecclesiae, quos supra
 « assignavimus, aliam quartam partem, modo
 « praemisso inter eos dividendam, habeant, à
 « quibus partibus, licet ex commissione Apos-
 « tolica, et longævi temporis usu, moribus, et
 « consuetudine approbata, eadem catholica Ma-
 « jestas tertiam partem (*Tercias* in Hyspania
 « vulgariter nuncupatas) habere, et recipere in-
 « tegraliter consuevit, volens erga nos suae libe-
 « ralitatis dexteram extendere, prout extendi
 « circa alias partes, et circa qualitates infra ex-
 « presas, nos, et Episcopos successores, ac Ca-
 « pitulum praefatos, ut magis tanto munere re-
 « fectos officeret, et ut pro eadem, et Regiis
 « ejusdem Majestatis successoribus preces effun-
 « dere teneremur, in nostra, et dictae Ecclesiae
 « nostrae, et Capituli in sua quarta Decimarum
 « parte liberos, et exemptos esse voluit; reliquae
 « verò duae quartae partes iterum in novem divi-
 « dendae sunt partes, duas quarum eidem Majes-
 « tati serenissimae in signum superioritatis, et
 « juris Patronatus, ac ratione acquisitionis prae-

« dictæ terra futuris, perpétuis temporibus per-
« cipiendas, et levandas applicamus.

§ XXV.

« Dereliquis verò septem partibus bifariam
« duximus esse faciendam divisionem, quarum
« quatuor de dictis septem, omnium Decimarum,
« Parrochiæ nostræ cathedralis Ecclesiæ appli-
« camus mensæ capitulari, ut melius Ecclesiæ
« valeat administrari, ex quibus quatuor parti-
« bus nos, et successores nostri, cuilibet Recto-
« rum assignamus sexaginta *pesos* vulgaritèr nun-
« cupatos, si sufficiens portio videatur, alias pro
« loco, et tempore, et qualitate personarum præ-
« dictorum Rectorum, et oblationis, et proven-
« tum penuria ad arbitrium Prælati suppleatur
« congruenter: itaque summam centum et vi-
« ginti aureorum non excedat; sacristæ verò
« quadraginta, qui quidem Rectores habeant
« etiam omnes primitias, præter octavam par-
« tem, quam applicamus sacristæ, qui etiam
« Rectores quotidie in choro, Missæ majori, et
« vespertinis horis, superpelliceis induti reside-
« re teneantur, ut commodius animarum saluti
« sacramenta exercere valeant, ne eorum absen-
« tia, sèu incuria quis absque aliquo sacramento
« sanctæ matris Ecclesiæ incautè discedat; et

« donèc fructus excreverint, ex prædictis etiam
« quatuor partibus conferatur accolytiis, orga-
« nistæ, et Perticario, quod supra dictum est, et
« quod superfuerit, habeat dicta mensa capitu-
« laris.

§ XXVI.

« In singulis verò Parochialibus Ecclesiis, tam
« dictæ civitatis, quam totius nostræ Diœcesis,
« quatuor prædictæ de dictis septem partibus,
« simul cum primitiis, beneficiis in unaquaque
« dictarum Ecclesiarum erigendis, et creandis
« applicamus; declarantes etiam simili modo oc-
« tavam partem dictarum quatuor partium, at-
« que primitiarum sic dictis beneficiis applicato-
« rum, sacristæ cujusque Parochialis Ecclesiæ
« dictæ civitatis, et Diœcesis nostræ esse tri-
« buendam.

§ XXVII.

« Volumus autem, et ordinamus, quod omni-
« bus dictæ civitatis, et Diœcesis nostra Ecclesiis
« Parochialibus (excepta nostra Ecclesiæ cathe-
« drali) tot beneficia creentur, et ordinentur,
« quot ex quantitate reddituum dictarum quatuor
« partium, sic eisdem beneficiis applicaturum
« creari, et ordinari poterunt, assignata tamen